

inclusum dorso imposuit pergensque ad amicos suos tremens enarravit, se occidisse hominem, quem quidem dorso gerat et sepelire cupiat, proinde implorare opem illorum, ut occisi cadaver abscondere, seque in latibulum aliquod domus suae recipere dignentur. Venit igitur ad eum, quem principem amicorum suorum esse credebat cum sacco sanguine resperso, rogatque eum ut factum celare juvet. Sed hic illum aversari, et verbis etiam asperis repellere, negareque se socium sceleris illi futurum. Tentavit igitur aliorum amicorum animos, sed similiter repulsas est. Vix tandem reperit unicum, qui cum factum audisset: Celeriter, inquit, de via intra, nam foris hæc agi neutiquam convenit atque ita in secreta domus parte ad sepulcrum effodiendum se accinxit. Hinc ergo ille didicit, inter plurimos qui se jactant amicos, vix unum reperiri verum et sincerum. Non erant veri amici sacerdos et levita: unicus talis repertus est Samaritanus, qui nulla consuetudine, sola misericordia motus fidelis amicus fuit: de jumento suo descendit et saucium in id sustulit. Paucorum amicitia eo usque se extendit, ut cedat alter alteri commoditatem suam, et in gratiam alterius pati aliquid velit.

Multi igitur amici, pauci veri amici quia, ut Sapiens, Eccl. XXXVII. ait: *Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam copulavi sed est amicus solo nomine amicus.* Non quaerit hic Phariseus, quis sit nomine amicus, nec ita respondet Christus: sed quis re et opere, quis practice sit amicus, quis officia proximi et veri amici exhibeat, atque hunc amicum esse, eumque solum censent. Quis igitur tandem est meus amicus, meus proximus, inquit? Solus ille, qui est sicut hic Samaritanus. Quis est meus amicus? Qui te peccantem commendat, praesentem vero arguit. Quis est meus amicus? Qui in necessitate tibi adest. Quis est meus amicus? Qui sua pro te expendit, vel saltem gratis te amat. Quis est meus amicus? Qui te in bono non impedit. Quis est meus amicus? Qui in malo te non juvat. Quis est meus amicus? Qui ab amore reciproco non pendet. Quis est meus amicus? Qui vinculo charitatis, non mere consuetudinis, tibi adhæret: qui de bono tuo sibi quasi de suo gratulatur, de malo vero tuo tristatur quasi de suo: « Ille germanus est amicus, inquit S. Maximus, de charitate, l. III. n. LXXVIII. qui ingruente infortunio tribulationes, et difficultates, et calamitates in tempore tentationis una cum proximo perinde ut suas sine animi consternatione et perturbatione tolerat. » Tales nobis largiatur Christus, qui est solus verissimus et maximus noster amicus.

CONCIO VIII.

QUIS SIT NOSTER PROXIMUS.

I. Quis proximus sit divitis? — II. Fortunati? — III. Nobilium? — IV. Justi? — V. Juvenum? — VI. Cujusque?

THEMA.

Et quis est meus proximus? Luc. X.

Levis profecto quaestio est: *Et quis est meus proximus?* Nec legisperito digna. Nam si bruta interrogamus, quis sit eorum proximus, respondebunt uno ore, quodlibet individuum suae speciei sibi esse proximum. Occurrit avis avi, piscis pisci, quadrupes quadrupedi suae speciei, et mutuo se agnoscunt, quodammodo se salutant, comitantur et convalescunt, non habito respectu, num alter eorum venerit ex Calabria, alter ex Novacembla, num ater sit an albus, juvenis an senex, sanus an æger. Solus id homo ignorat. Nimirum fastus et arrogantia hominem excæcat, ut proximum non agnoscat. Testatur id Ecclesiastes, c. III. dicens: *Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic?* Ita loquebatur de Davide insolens ille Nabal: *Quis est David, et quis est filius Isai?* I. Reg. XXV. Bene ergo dixit Habacuc, c. II. *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus.* Quis nescit, quomodo ebrius a vino decipiatur? Fratres non agnoscit, et omnia duplicia videt, amicos pro inimicis habet. Talem fuisse legisperitum hunc, non ex eo tantum patet, quod hac quaestione voluerit justificare semetipsum: sed etiam ex ipso quaerendi modo, cum ait: *Et quis est meus proximus?* Quasi non obvium quemque velut proximum agnosceret. Sed non est solus iste, qui quaestioni huic facilimè respondere nescit; multi sunt, qui etiamnum ignorant eam. Et vae illis in extremo illo examine; quia actum erit de illorum ascensu ad classem aeternae felicitatis, nisi eam hic perdiscant tam practice quam speculative. Audiamus ergo et discamus.

I. Quaerit dives: *Quis est meus proximus?* Resp. breviter, pauperculus quilibet, qui praeforibus ecclesiae vel etiam domus tuae jacet, et stipem colligit. Dic enim mihi, si certam pecuniam des alicui deferendam in domum tuam, et ille gratias agens deferat in domum suam; des postea alteri aliam pecuniam similiter deferendam in domum tuam, qui eam bona fide ferat; uter horum est proximus tuus? Existimo, dices, ille qui detulit pecuniam meam in domum meam. Recte judicasti: atque ita res habet in proposito. Diviti si benefacias, deferet is beneficium in domum suam, et forte nec gratias agat: si pauperi, deferet is in domum tuam; quia in caelo repe-

ries eleemosynam tuam. Hinc Luc. XIV. ait Dominus: « Cum facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos, neque divites, ne forte te et ipsi reinvent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, caecos et claudos, et beatus eris; quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. » Ecce pauperes ferunt tibi cenam tuam in domum tuam: divites vero in suam, vel si eam referunt in domum tuam, ferunt in terrenam, non in caelestem. Itaque pauperes, quibus benefacimus, vere proximi sunt nostri: divites vero, propinqui et amici verius alieni sunt juxta id Psal. XLVIII. *Relinquent alienis divitias suas.* Eamus ad hodiernum evangelium, ibi Samaritanus vulnerato ex Domini sententia proximus factus est, quia illum juvit: sacerdos et levita non sunt vocati ejus proximi, quia non juverunt. Qui ergo tibi in extrema constituto miseria auxiliatur, ille tibi proximus est. Hoc autem tibi facient pauperes in articulo mortis seu judicii die, cum recipient te in tabernacula sua. Quinque fratres habuit epulo, quibus reliquit bona sua. Sed quid opis ab ipsis tulit, in inferno? Nihil omnino. Non ergo proximi ejus fuerunt. Lazarus vero ad fores ejus jacens, si eleemosyna a divite accepisset, utique proximus ejus fuisset, quia eleemosyna caelum ei parasset. Atque ob hanc causam S. Joan. eleemosynarius pauperes appellabat *dominos suos*, quod ab eis caelum pro eleemosyna acciperet, ut in ejus vita Leontius. S. etiam Laurent. primus Venetorum patriarcha dicere non dubitavit, divitem salvari non posse nisi dandis eleemosynis. Confirmat idem S. August. qui ait: *Dives et pauper sunt duo contraria, sed sibi invicem necessaria.* Quare illa Graecorum fabula de caeco et claudo recte in eos quadrat. Horum utroque in silva constituto, neuter exire poterat: alter quia pedibus, alter quia oculis caruit. Interunt ergo hoc consilium, ut caecus claudum tolleret in humeros ac gestaret: sic evaserunt ambo, caecus claudo gressum, claudus caeco lumen impertiens. Pauperes nonne claudi sunt, qui pecuniae nervis destituti non habent, unde vitam sustentent? Divites vero caeci saltem plerique sunt, qui nimirum terrenis opibus immersi caelestes nec curant, nec agnoscunt. Certe apost. I. Tim. VI. ait eos, qui: *Volunt divites fieri, incidere in desideria inutilia et nociva, (Graece in stulta et amentia) quæ mergunt hominem in interitum.* Quod explicans Theophyl. ait: « Quomodo non est stultum simias alere, belluas ac pisces in vivariis ac sepelis includere, equos exornare auro, intraque tec-

IV. PARS AESTIVALIS.

tum aquam ducere, ac in solo sive pavimento domus faciem veluti in speculo ob nitorem lapidum contemplari? Hæc stulta sunt ac noxia, quæ animæ divitias lædunt, sensusque absumunt. » Quid ergo caeco diviti, quid quæso faciendum, si vult emergere ab interitu, et Hercinia orci silva? Tollere in humeros suos claudum, pauperem inquam, debet, eumque suis opibus sustentare. Sic emerget, si agnoscat pauperem illum revera fuisse proximum suum.

II. Quaerit fortunatus: *Quis est meus proximus?* Resp. item breviter, abjectissimus quisque, amicis, opibus, membris omnique fortuna destitutus, qui jacet in tuo stabulo. Nam si duo ad rotam molarem alligentur, unus in summo, alter in imo; quis est proximus illius, qui supra rotam est? Nonne is qui infra? Etenim si vel parum circumagatur rota, erit superior, qui est inferior et contra. Ita res habet cum fortunato et infortunato: ille nunc elatus sedet, hic vero dejectus premitur: expecta parumper, et vertetur rota; tunc iste in alto sedebit, ille vero infra gemet. Vidit hoc oculatus quidam a rege plurimis affectus beneficiis, qui cum rogaretur, quid amplius cuperet gratiarum, respondit *clavum*, quo fortunæ rotam sisteret. Romani vero Fortunam viscatam coluerunt, ut visco glutinove eam illigarent, sibi que firmam et constantem facerent. Mauritius imp. Theodorum legatum ad Cajanum Bulgariae regem misit, ut pacem ab eo peteret. Qui talem regi historiam recensuit: « Sesostres rex Persarum a quatuor regibus a se devictis, dum in rheda traheatur, unum illorum sedulo contemplari rotam vidit. Rogans igitur, quid spectaret: Fortunæ volubilitatem, audit, quomodo mox elevet, mox deprimat: excelsa humiliet, et humilia extollat. Quo audito et ipse fortunæ volubilitatem expendens, noluit deinceps a regibus trahi. » Sed et Cajanus hoc exemplo motus pacem Mauritio dedit. Refert Nicephorus, l. XVIII. c. XXXIX. Eamus ad evangelium, annon fortunæ volubilis typus, epulo, et Lazarus? Petiit hic micam, non obtinet: postea petiit alter ab hoc guttam, neque is hanc obtinuit. Significatur hæc volubilitas in evangelio, Luc. XV. ubi initio historiae, prius fit mentio epulonis, postea Lazari: in fine contra prius Lazari quam epulonis. Quare bene S. Jacobus, c. III. epistolæ suae, vitæ nostræ cursum appellat *rotam nativitatis nostræ*, quia ut ait Boetius, l. II. de consol. prosa I. *Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lege, ne utique cum ludæi mei ratio poscet, descendere injuriam putes.* Quare Sultanus quidam captus a rege Francorum, cum

in vinculis nunquam risisset, visa currus rotatione in risum se effudit. Causam rogatus dixit hanc rotationem sibi representasse suam et rerum humanarum vicissitudinem, qua nunc hi, nunc illi, imo quisque nunc erigitur, nunc deprimitur. Quamobrem a rege liberatus in amicorum et consiliariorum numerum receptus est, refert Glycas, l. IV. annal.

III. Quærit nobilis: *Quis est meus proximus?* Resp. uno verbo, rusticus quisque in pago tuo, proximus est tuus. Dic enim: Si duo simul peregrinentur ex eodem pago, ad eundem locum longo et montoso itinere, et forte lassus alter in valle resideat, præeunte altero et in monte subsistente: ubi hic recordatur socii, nonne ait: Ubi est meus socius? Nonne regreditur ad illum, vel expectat eum? Ita res habet cum nobili et ignobili. Ex eodem pago omnes egressi sumus ab agro et prædio Adami, vel si malis, a paradiso: et simul peregrinamur per montes et valles; modo enim, qui nobilis erat, est ignobilis; modo contra. Jam si in valle ignobilitatis quis resederit, num tu eum ideo socium et proximum tuum non agnosces? Nonne et tu aliquando in valle eras, dum alteri in monte esset? Quære in genealogia Christi, invenies primo, Adamum agricolam; deinde, magnos patriarchas; postea, pauperem David pastorem gregis, inde post fœtantes acceptum: perge, et invenies inde factos maximos reges; perge, et invenies pauperem Joseph, Christi nutritium. Idem videre erit in aliorum hominum genealogiis. Unde Plato, apud Senecam, epist. XLIV. ait: « Neminem regem non ex servis esse oriundum: neminem non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, et sursum deorsum fortuna versavit. » Quamobrem Plutarchus, quæst. Rom. q. LXXIX. scribit Romanos patricos et nobiles lunulas (qualis est in luna prima) in calceis gestasse, in signum nobilitatis: idque ideo ut admonerentur, varios nobilitati vultus esse, quemadmodum et lunæ. Nam primo, ex obscuro prodit tenui luce coruscans, mox majorem acquirit, quo magis ascendit: soli opposita, plena luce splendet, lætamque ostentat faciem: rursus consenescentia deficit, donec plane luce amissa ex conspectu hominum evanescat. Itaque meminerint nobiles pari modo ortam suam nobilitatem, et fieri cito posse, ut mutata sæpius fortuna tandem omnes prorsus lunulas suas perdant. Ita vaticinatur et minatur eis Isaias, c. XXXIV. *Nobiles ejus non erunt ibi*, in exterminatione Jerosolymæ scilicet: ubi adeo defecit Judæorum nobilitas, ut nullum jam cernatur inter eos generis discrimen. Ita in Hungaria et Græcia a Turcis debellata nobiles fami-

liæ omnes deletæ et plebi immixtæ fuere. Unde sæpe speciosissimæ et ingenuæ formæ viri ac mulieres passim vendi cernuntur ex nobilium familiis, et servitiis Turcarum addicuntur, ut scribit Busbequius, in legat. sua Turcica. Idem per injuriam belli facile fieri et aliis potest: facillimum est Deo omnia complanare, ut nulla sit diversitas nobilium et ignobilium, juxta id Zach. IV. *Quis tu mons magnus? In planum.* Mons magnus fuit Nabuchodonosor, sed in planum redactus est, cum in bestialem formam mutatus fœnum, ut bos comedit: mons magnus fuit Valerianus imper. sed in planum dejectus est, cum Sapor Persarum regi scabellum factus: mons magnus fuit Dionysius Siciliæ tyrannus, sed complanatus est, cum e rege ludimagister factus; quod et ante fuerat.

IV. Quærit justus: *Quis est meus proximus?* Resp. peccator quilibet, qui forte cras ad suspendium ducetur, proximus tuus est. Sic enim fere respondit hodie legisperito Dominus, qui justum se putabat; ostendit enim Samaritanum (quod hominum genus reprobum Judæi existimabant) proximum illius esse. Dic enim mihi, si in prælio commilito tuus confodiatur, forte quia ante te in acie stetit, et male armatus erat: nonne dicis proximum tuum ante te confossum esse, et hoc idem tibi evenire potuisse? Nonne ut proximo compateris? Jam qui in gravia incidit scelera, et ob ea plectitur capite, a latere tuo abripitur, quia forte in acie stetit primus, id est, pluribus peccandi occasionibus expositus aut male armatus, id est, minori gratia præventus fuit. Vita hæc militia est, atque in Dei potestate est, constituere te in acie prælii, ubi prælium est periculosissimum, vel in extremitate, ubi securius: quod si igitur alius in graviore tentatione constitutus, vel minori gratia armatus collabitur et perit, cogita idipsum tibi eventurum fuisse, si ipsius loco fuisses, adeoque te huic lapso proximum fuisse. Legimus Davidem, II. Reg. XI. jussisse Uriam constitui in loco, ubi prælium esset, fortissimum, ut percussus interiret. Quid si simili loco te Deus constituisset? Unde Jeremias, Thren. III. ait: *Misericordix Domini quod non sumus consumpti*: et Isa. c. I. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen* (gratiæ vel verbi Dei,) *quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorra similes essemus.* Ex hac causa S. Franciscus vocare se ipsum solebat pessimum mortalium et pejorem latronibus; cumque ob id quasi falsitatis argueretur, respondit: Si tanta gratia collata fuisset latronibus, quanta mihi collata est, forte plura bona fecissent, quam ego, sanctioresque evasissent. Quare si Franciscus majorem non

accepisset gratiam, quam latrones, sensisset utique se futurum illis pejorem.

V. Quærit juvenis et robustus: *Quis est meus proximus?* Resp. decrepitu et æger, qui cum morte conflictatur. Hic enim forte cras aut perendie ad sepulcrum efferetur, et tu sequeris proxime: ille jam mortuus est, ut quotidie morereris. Jam dic mihi quæso: Si ex uno eodemque arboris trunco, pars una absumatur igne, altera in statuam effingatur; nonne hæc illius soror, adeoque proxima est? Hac ratione ostendit Isaias, c. XLIV. vanitatem idolorum: *Medietatem ejus combussi igni et de reliquo ejus idolum faciam? Ante truncum ligni procedam? Pars ejus cinis est* (Hebr. *socius cineris est.*) Ut ergo tale idolum socius est cineris seu compartis jam combustæ: ita homo viveas, socius et proximus est defuncti; siquidem ex eadem massa, fragili et mortali, uterque factus est. Vide duos juvenes ex eadem patria, civitate, familia et parentibus natos, imo et fratres gemellos, ut Jacob et Esau; quorum unus ardore mortis combustus, et in cinerem redactus jaceat, alter adhuc stet vivens, auro et serico adornatus, famulorum frequentia stipatus ac pene adoratus; nonne isti duo fratres sunt, ex eadem massa et sanguine formati? Unus ergo cinis est; alter cineris socius seu proximus. Qua de causa etiam S. Job, c. XVII. vermes vocavit *sororem suam*, ut exponit D. Gregorius, lib. XIII. mor. cap. XXI. Rursum dic mihi, obsecro: Si duo educerentur condemnati ad ultimum supplicium, unus tamen per ambages et via longiore, alter compendiosa et brevior: nonne, licet iste præveniret illum aliquot horis, tu tamen eum illi proximum esse diceres? Cum ergo nos ad mortem omnes condemnati sumus, si hodie efferatur aliquis, cogita tu juvenis te ipsi proximum fore, quia is quidem per compendium, tu vero per ambages, ad eundem tenditis finem. Non est mea hæc ratiocinatio, sed præclarissimi martyris Thomæ Mori, Angliæ cancellarii, cujus hæc sunt verba (in lib. æe quatuor noviss. apud Staplet. in vita.) « Sunt qui e carcere ad patibulum ducitur, quo duæ quidem viæ ducunt, una per circuitum longa, alia recta et brevis; sed utraque ad patibulum ducto ignoratur, donec ad exitum ventum sit; non habet exiens unde longiorem sibi promittat propter alterius viæ incertam longitudinem: sic juvenis non potest longiorem sibi vitam promittere quam senex. »

VI. Quærit alius quilibet: *Quis est meus proximus?* Respondeo, inimicus tuus. Die enim mihi, quæso: Si lethale vulnus haberes, et veniret ad te chirurgus aliquis, qui vulnus solum leniret, angeret et blandis medicamentis foveret, non

tamen sanaret veniretque postea alius, qui uret et secaret quidem, sed vulnus tamen sanaret, utrum diceres proximum tuum? Utri gratias ageres? Nonne posteriori, qui sanavit te? Atqui talis est inimicus tuus. Solus hic communiter tangit, urit, et exprobrat tibi vitia tua: amici tui leniter tantum palpant, laudant, approbant, in perniciem tuam: hoc est, quod respondit Dominus legisperito in hodierno evangelio. Etenim Samaritani hostes erant Judæorum, et adherabant qui Judæos persequerentur, nec unquam eis reconciliabantur, ut advertit Hugo card. Et tamen infert Dominus, in parabola Samaritanum istum revera proximum fuisse Judæo semineci, siquidem ei curam adhibuit, quod non fecere ejus concives. Hujusmodi Samaritanus et chirurgus bonus fuit Semei Davidi, quando mittens in eum lapides vocavit eum *virum sanguinum*, jure a Deo punitum, adeoque lapidatione (velut ex lege Deut. XXII.) dignum. Id quod adeo non ægre tulit David, ut potius patrociniū ejus velut clientis susceperit contra filios Sarviæ, servos suos, qui necem ei intentabant, II. Reg. XVI. Hinc enim recolens David peccata sua, adulterium et homicidium, linguam illius Semei maledicam vidit esse novaculam, qua secaretur et amputaretur vulnus suum. « Reduxit ad animam malum, quod perpetravit, inquit S. Gregorius, lib. XXX. moral. c. XVII. et æquanimitè pertulit, quod audivit, et contumeliosa verba, non tam convicia quam adjutoria credidit, quibus se purgari sibi misereri posse judicavit. » Voluit ni fallor, hoc ipsum nos docere Dominus, quando Petrum quidem, passionem dissuadere sibi conantem vocavit *Satanam*, seu adversarium: *Vade post me, Satana; Judam vero se tradentem, amici nomine compellavit: Amice, ad quid venisti?* Quo sciremus, non esse amicos nostros eos, qui blanda nobis loquuntur: sed illos potius, qui nos persequuntur. Sic etiam Hebræi Benjamitas hostes suos *fratres* appellabant, Judic. XX. *Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin, fratres meos?* Sanctus ille Stephanus monachus, apud D. Gregor. homil. III. in evang. persecutores suos vocabat *adjutores suos*. S. Eupychius martyr sub Hadriano imperatore accusatus quod Christianus esset, patrimonium suum vendidit, et pretium partim pauperibus, partim accusatoribus dedit, postea comprehensus, et gladio confosus est, martyrol. Rom. 7. sept. Itaque tam accusatores quam pauperes pro amicis habuit. Scimus etiam Davidem magis deplorassem mortem inimicorum suorum, Saulis et Absalonis, quam amicorum. Idem fecit Ludovicus imperator, Caroli Magni filius.

Cum enim Normandos atque Britones hostes et invasores regni sui, quibus ipse debellatis percerat, lues ingruens extinxisset, Deo pro ipso pugnante: nuntio accepto de morte adversariorum pius imperator pugno pectus percussit, oculisque lacrymantibus Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus est, Baron. anno 836.

Quando igitur, auditores, vidistis, qui sint vestri proximi, nolite jam cum supercilioso legisperito quærere: *Et quis est meus proximus?* Cum enim hoc sciatis, superest, ut cum proximis vestris velut proximi vivatis.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

- I. Discunt principes et praelati: 1. Modestiam. 2. Pietatem. — II. Discunt magistratus alii: 1. Rationem corrigendi delinquentes. 2. Studium purgandi ditionem a latronibus. — III. Discunt clerici: 1. Curam habere animarum. 2. Liberalitatem erga indigos. — IV. Discunt litterati: 1. Non despiciere rudiores. 2. Docere et facere. — V. Discunt medici: 1. Sedulo mederi ægris. 2. Non accipere personam. — VI. Discunt divites: 1. Perfectam impendere misericordiam. 2. Non excludere facile aliquem ab elemosyna. — VII. Discunt Christiani cæteri: 1. Diligere Deum. 2. Et proximum.

THEMA.

Alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.
Luc. X.

Hodierna parabola, auditores, non obscure taxat nos concionatores, si visis auditorum defectibus et peccatis velimus præterire, nec medellam adhibere. Hoc enim dudum exprobravit Dominus ignavis Hebræorum pastoribus et per illos nobis Ezech. XXXIV. dicens: *Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis, et quod affectum est non reduxistis: et quod perierat non quæstistis.* Quare ne in hanc censuram ego quoque incidam, si sacerdotem et levitam imitatus fuero, Samaritani potius exemplum sequar, et si qui fuerint animæ vulneribus misere affecti, iis ego vinum et oleum, doctrinam inquam salutarem, infundere conabor. Scimus ex lib. IV. Regum, cap. IV. oleum ex imperio Elisæi fluxisse in domo viduæ, quamdiu vasa vacua præsto erant: ubi vasa defecerant, oleum stetit. Pari modo oleum salutaris doctrinæ in hodierno evangelio plurimum et redundans est, vacua tantum vasa requiro, mentes auditorum

a terrenis affectibus liberas atque exinanitas. Ego igitur oleum parabo, vos parate vasa.

I. Quid hic discunt principes ac praelati et quicumque in dignitate positi? Modestiam imprimis. Audiunt enim Christum modestissime, de se quidem suppressa tamen persona sua, loquentem: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Potuisset dicere optimo jure: *Beati qui me vident; vel beati vos qui me præsentem intuemini.* Noluit, ut modestiæ exemplum magnatibus præberet. Alibi etiam cum ad tuendam auctoritatem suam loqui aliquid debuit, fere in tertia persona enuntiabat, uti Matth. VIII. *Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.* Modestiam hanc imitati sunt præ cæteris Maximilianus I. imp. Austriacus, et Carolus V. ejus nepos; quorum ille pluribus ante mortem diebus nonnisi Maximilianus appellari voluit: hic vero, cum imperio se ultro abdicasset et in monasterio S. Justi abdidisset cum duodecim familiaribus, Deo et quieti vacaturus, interdixit aliter se quam Carolum nominari, Tymp. in spec. magist. fig. LXXVIII. Magis adhuc excellere in hac virtute episcopi et praelati deberent; nam ut ait S. Hieronymus, ep. III. ad Nepot. « Rex nolentibus præest, episcopus volentibus: illi terrore subjicit, hic servituti donatur; ille corpora custodit ad mortem, hic animas servat ad vitam: » et S. Basilius, reg. XLIII. « Morum mansuetudo (ait) et humilitas cordis, hæc præcipua antistitis signa sunt. Talis enim fuit Christus, quid dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* »

Secundo, pietatem et cultum Dei. Audiunt enim multos reges desiderasse videre et audire Christum ejusque facta et dicta; quod si eis obtigisset, summa gratia fuisset. Non desiderarunt illi dilatare fines ditionum suarum, non aliena occupare regna, non delicias et divitias, non honores et bonorum titulos, sed Christum videre, ejus vitam contemplari, ejus verba audire. Hoc illorum unicum votum et summum desiderium erat: cætera nihili aestimabant. Inter illos fuit Abraham, qui: *Exultavit ut videret diem ejus:* David qui dicebat: *Ostende faciem tuam et salvum erimus,* Psalm. LXXIX. Moyses, qui a Deo petit primo sibi faciem, deinde ostendi gloriam ejus, Exod. XXXIII. reges qui ab oriente ad Christi incunabula venerunt: Zacchæus et ipse princeps Publicanorum, qui ut videret Christum: *Præcurrens ascendit in arborem.* Hoc igitur est, quod præ omnibus desiderare principes debent, Christum videre per fidem et contemplationem vitæ ejus in hoc sæculo, per gloriam in altero; quemadmodum docuit Moyses, qui primam hanc petitionem Deo proposuit: *Ostende mihi faciem tuam,*

(Hebr. *viam tuam*) ut scilicet tu facie tua præcedas me in itinere deserti ad terram promissionis. Hac obtenta posuit illam alteram: *Ostende mihi gloriam tuam:* obtinet et hoc, cum audit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Primum ergo principum desiderium et postulatum sit, videre Christum, viarum et actionum suarum ducem ac directorem in periculoso regiminis itinere: ut ne ab ejus præscripto et exemplo aliqua in re deviant; alterum, videre eum in gloria. Atque istud fuit, quod ardentem desideravit gloriosus imperator Constantinus Magnus: « Cum enim Deum quem pater ejus Constantinus sancte adoraverat, solum observandum colendumque statuisset, ejus opem precibus imploravit eumque obtestatus est, ut tum quisnam esset, illi vellet significare, tum ut dexteram suam negotiis propositis porrigeret. Cum ista precaretur et obnixè flagitaret, circa meridionalis solis horas, die jam in pomeridianum tempus paululum declinante, in cælo supra solem trophæum crucis, ex lucis splendore figuratum ac scripturam additam vidit, sic dicentem: *In hac vince.* Admiratio ingens ipsum et totum exercitum, qui eum quoque iter facientem comitabatur, atque adeo hujus prodigii spectato factus erat, incessit: atque diu multumque, quidnam ostentum illud sibi vellet, cogitantem oppressit nox. Ibi et dormienti Christus Dei cum signo in cælo monstrato visus est, præcipitque ut exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tamquam presidio in præliis cum hostibus committendis uteretur. Hoc quia imperator fecit, ac (Dei sacerdotibus sibi tamquam assessoribus adscitis) Christum omni genere cultus et observantiæ venerari decrevit, Maxentium devicit et cæteris bellis, quæ deinceps gessit, par felicitas adfuit. » Ita describit Eusebius, l. I. vitæ Constan. c. XX. et seq. Idem imperator nihil magis voluit filiis suis commendatum, quam ut opibus omnibus adeoque ipsi imperio, Dei sanctæque religionis cultum anteponebant, Euseb. l. II. c. XXV.

II. Quid magistratus alii? Primo, rationem corrigendi delinquentes. Docet hanc Samaritanus qui vulneribus sauciati infudit vinum et oleum. Vinum mordet, oleum lenit; illud severitatem, hoc clementiam designat. Non ergo semper vinum, neque semper oleum, neque unum sine altero facile adhibendum, sed cum mixtura utriusque et nunc corripiendi errantes, nunc vero demulcendi. Pulchre hoc explicat D. Gregorius, lib. I. regist. ep. XXIV. et lib. II. VIII. mor. c. VIII. « Disciplina, inquit, vel misericordia multum desinitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans mise-

ricordia, et pie sæviens disciplina. Hinc est quod semivivi illius vulneribus qui a Samaritano in stabulum ductus est, et vinum adhibetur et oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtiois adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mudentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtiois, sit et manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt; virga enim percuitur, et baculo sustentamur.* Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit et consolatio baculi, quæ sustentet. » Hæc Gregor. qui mox in exemplum adducit Moysen. Hic enim et oleum adhibuit, cum Deum populo iratum tenuit ac precibus placavit: et vinum adhibuit, cum postea in ultionem idololatriæ a populo admisæ, viginti tria millia hominum occidit, Exod. XXXII.

Secundo, studium purgandi vias publicas a furibus et latronibus, eosque a finibus suis arce. Hoc enim quia factum non est a magistratu Hebræorum, hinc via inter Jerosolymam et Jericho latrocinii infesta, adeoque infamis facta est, ut locus quidam inter jacens a frequentibus cædibus vocaretur *Adomim*, hoc est, locus sanguinum, teste S. Hieron. in epitaphio Paulæ, ad quem alludit Dominus in parab. hod. Quæ infamia certe redundabat in vicinas civitates, a quibus tolerabantur illa latrocinia: scelera enim quæ non plectit magistratus, facit sua. Unde M. Cato eos magistratus, qui maleficos pœnis non coercent: *Non tantum non ferendos dicebat, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglectu salus reip. labeferet,* inquit Plut. in ejus vita, recte namque dicitur: *Is qui parcit malis, nocet bonis.*

III. Quid hic discunt clerici? Curam animarum imprimis, ipsis enim dicitur, quod stabulario in hod. parabola: *Curam illius habe et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Unde intelligemus, sacerdotes esse animarum medicos a Deo constitutos. Quare primo, sicut medicos curationi potius quam dominationi incumbit, ita sacerdotes animarum sanitatem, non suum dominatum quærant. « Sciunt boni fidelesque præpositi, inquit S. Bern. ser. XXV. in Cant. languentium sibi creditam curam animarum, non pompam: medicos se et non dominos agnoscentem